



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 5. De externa conversatione

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

re : strictè sensus custodire , oculos ab evagatione , linguam à jocis & verbis otiosis , vultum à risu , totum corpus ab omni motu inordinato . Semper à mensa cum aliqua fame recede , ita ut post refectionem legere vel orare possis sine gravi incommodo & difficultate .

VII. Initio mensæ consuetam benedictionem , & in fine gratiarum actionem graviter & devotè persolve . Et quia raro debita mensura servatur , nec ullus est adeo accuratus , qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis ; de hoc aliisque defectibus discussa breviter conscientia , veniam pete , & propone deinceps solidam emendationem .

§. V. *De externa Conversatione.*

QUoniam vix fieri potest , quin sæpe per diem cum hominibus converseris , satagendum est ut talis sit conversatio tua , quæ omnibus profit , nemini obsit : sicut scriptum est : *In omni conversatione vestra sancti sitis.*

Prima autem ejus conditio est modestia , quæ decorum servat in motibus , gestibus , & exteriori compositione . Ad hanc magnopere conducit timor quidam , & laudabilis pudor , qui te in officio contineat , & semper revocet ab omni impudentia , procacitate , effusione , & libertate . Ejus actus sunt vestes mundas habere , quietas manus , faciem hilarem , frontem serenam , demissos oculos , gravem incessum , sermonem placidum , risum discretum , mores ingenuos , totumque corpus ita compositum , ut nihil appareat in te , quod possit offendere intuentes . At qui hoc mirabile est , videri & prodesse , soloque aspectu allicere videntes ad pietatem . Porro vera modestia ex interna morum gravitate procedit .

Secunda conditio est suavitas , sive benignitas . Nihil enim tam faciliè illabatur humanis sensibus , animosque conciliat , quàm comitas , affabilitasque sermonis , honor verborum , & morum facilitas . Quidquid honoris , & reverentiæ sibi invicem exhibent seculares in externa vitæ

consuetudine, id tibi etiam usurpandum, sed longè dispari ratione. Nam apud illos nihil aliud hæc sunt, quam verborum lenocinia, & formulæ quædam urbanitatis, & politici obsequii: apud te actus erunt virtutis, & charitatis. Quàm sancta & innocenti observantia sancti Patres, Antonius Magnus & Paulus primus Eremita adinvicem contendebant in partitione panis, cùm alter alterum honore prævenire, & neuter cedere vellet! Hoc fomentum fraternæ charitatis est, & conscientiæ bonæ ac animi illustris evidentissimum testimonium, deferre aliis honorem & mutuis officiis decertare. Superiores itaque tanquam Christum alloquere, æquales sicut fratres carissimos, inferiores ut filios. Sit conversatio tua suavis, hilaris, serena, pura, tranquilla, serena, quæ nec aulicissimum redoleat, nec rusticitatem. Sit gravis sine severitate, læta sine dissolutione, humilis sine abiectione, plena candoris & gratiarum, expers insolentiæ & levitatis. Hac autem lege prohiberis evitare nugas, jocos, assentationes, & quicquid religiosæ gravitati detrimentum afferre potest.

Tertia est prudentia, quæ lucebit in conversatione tua, si apta & proportionata fuerit iis cum quibus versaris: aliter enim cum potentibus, aliter cùm humilibus agendum est: aliter cum viris, aliter cum mulieribus: aliter cum doctis, aliter cum ignavis. Si conveniet ætati, statui, conditioni & capacitati tuæ: nam quædam juvenem decent quæ seni dedecori forent: quædam secularibus licent, quæ Religiosis infamiæ notam inurerent. Nosce etiam, & conserva tempus. Sit sermo suavis, brevis, & pondere plenus. Disceptatio, si necessaria fuerit, sine ira sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. Denique imitare Apostolum, qui omnia omnibus factus est, ut omnes salvos faceret.

Quarta demùm est utilitas. *Vena vitæ os justî*, ait Sapiens. Et vir quidam eximius dicebat, Tales esse oportere Religiosos, ut ab illis abirent homines percutientes peccata sua, & dicentes, *Verè filii Dei sunt isti*. Veteres sane

Philosophi profitebantur suo se consortio homines facere meliores. Ita & tu, si verè Religiosus es, optimi servi Dei partibus fungere. Trahe ad Dominum quoscumque potes, sit omnis narratio tua in præceptis Altissimi, nec permittas quempiam à te discedere sine aliquo spiritali emolumento. Patiens esto ad omnes: & si quis te spernat, si quis contradicat, si quis verba proferat acerba, inepta, puerilia, si acerbis moribus sit præditus, & ingenio refractario, cave ne eum contristes, sed te suaviter omnibus accommoda, ut omnes lucreris. Omnium dicta & facta in meliorem partem interpretare quantum licet, aliorum infirmitati condescende. Animum non prorsus effundas, sed collige interdum, & piis affectibus ad Deum eleva, quem semper præsentem mentis oculo intueri debes.

§. VI. *Praxis divina præsentia.*

INstrumentum efficacissimum ad assequendam omnem perfectionem, & quasi fundamentum vitæ spiritualis, est Deum jugiter præsentem mentis oculis contemplari. Nullum exercitium hoc præstantius, nullum utilius. Purgat, & retrahit à peccatis, contemptum parit rerum humanarum, sensus corrigit, mentem sanctificat; & est quædam in terris representatio cœlestis beatitudinis, in qua Beati perpetua Dei visione perfruuntur. Sicut nullum est momentum, quo non utaris, vel fruaris Dei bonitate & misericordia, ita nullum oportet esse, quo eum præsentem non habeas: nec tam sæpe respirare debes, quàm Dei meminisse.

i. Triplex autem est modus, quo Deum potes præsentem concipere in omni loco: quorum primus dicitur imaginarius, alter intellectualis, tertius affectivus. Primus imperfectus est, fitque vi imaginationis, cujus maxima fingendi potestas est. Hoc modo contemplari potes, & præsentem semper habere Christum Dominum in assumpta humanitate, sive jacentem in præsepio, sive spinis coronatum, sive crucifixum, vel resurgentem, aut ascen-